

1426 se, quod præsenti periculo servatus, pro patria, uxore, liberis, amplissimisque fortunis, quas tyranno reliquisset, aliam justitiae, integritatis, omniumque virtutum alumnam sibi quæsitam videret: ubi sua cuique redderentur præmia, ubi virtus, ubi justitia coleretur, ubi nullus esset improbis locus, nulla dignitas. Quod quum ita esset, non amisisse divitias, sed quæsivisse potius arbitraretur, neque adversa ulla prostratum fortuna, sed amplissimo etiam munere donatum: nisi forte cum liberis conjunx, uxorium Carmaniole animum ubique terrarum sollicitum, ac tyranno obnoxium posset reddere. Quod autem ad bellum attineret, non eam esse dicere Philippi potentiam, non eas opes, quæ vulgo prædicarentur; nec Florentinos virtute hostiam magis, quam suorum Imperatorum aut stultitia aut fraude victos; nec cæteras victorias tam Philippi ductu & auspiciis, quam suis antea quæsitas. Accedere ad id pecuniæ inopiam, qua ille terrestribus bellis & classe in Arragonum Regem comparanda exhaustus, jam pridem iis copiis, quas in Hetruria haberet, maligne stipendum reddidisset. Audere se illud dicere: Philippum, qui jam specie vicisse crederetur, re ipsa propius victo esse quam victori: cuius ærarium exhaustum sit, consumpti cives, vectigalia prorsus oppignorata: cui quicquid super sit, surripiant, vorent, dissipent exoleti. Compertum se habere, jam annum militi stipendum ob inopiam non datum, nec gratuitam illi militiam a suis (ut quidam falso interpretantur) exhiberi. Quid futurum putarent, si inopes & assiduis tributis exhaustos Galliæ populos Venetus ingenti bello adoriretur: si illorum negotiatoribus ad hoc unicum Italîæ emporium occlusa essent itinera, si commercium interdictum: si agresti turba pecoreque intra mœnia compulso, desertis cultu agris, si corruptis aut sublatis frugibus, passim annona & omnium rerum inopia laborari cœpisset? procul dubio eum, quem victorem nunc prædicant, quem fama contremiscunt, victimum, prostratum, sibi & suis rebus timentem, visuros. Nec eum futurum putarent in propulsando bello, qui in inferendo antea fuisset. Magnas præterea ab initio fuisse Florentinorum opes;